

A D L E C T O R E M.

mum novis, licet intercurrent veteres & antehac editæ. quas ipsas tamen iis locis, ubi certior nobis notitia, accuratiores correctioresque damus. Religio quippe videbatur ab Auctoribus recedere. Ideoque suum cuique honorem factum tectum & labores intactos relinquere maluimus, quam sine gravi causa quicquam mutare. imprimis illorum fugientes audaciam, qui aliena pro suis venditant; & intelligendo faciunt ut nihil intelligant. Totum opus pluribus Tomis ac voluminibus visum distinguere. In præsentiarum tria damus volumina, submissuri propediem, Deo laboribus nostris benedicente, reliqua. Quod si qui patriam suam & natale solum, cujus amore singuli vehementius tenemur, in hoc opere quærant nec inveniant: aut accuratorem ejus pleniorremque delineationem exigant; eos perhumaniter rogamus, ut tabulas, observationes, ac descriptiones, si quas habent proprias ac singulares, ad nos transmittere dignentur, suamque ad Geographiæ Tabularumque perfectionem symbolam conferre. Vti enim unius non est, terras omnes lustrare, ita nec describere ac delineare. Quod si alicujus observationibus & cûris contingat nos juvari, illius nomen publice celebrabimus, nec grave erit fateri, per quem senserimus nos profecisse. Tabulas singulas descriptione modo luculentiore, modo breviori illustravimus, in qua regionis cujusque termini, soli indoles, populi mores, Principes, flumina, montes, sylvæ, aliaque, quo fieri potuit compendio, indicantur. Tu, benigne Lector, fruire laboribus nostris, & si quid hic illic vel in Tabulis vel explicationibus desideres, cogita, facilem esse in eorum locorum, quæ ipse non videris, descriptione lapsum, nec ullibi digniorem esse veniam. si modo minime mirum est, hominem non omnia humana novisse. Vale. E Typographejo nostro, ipsis Idibus Januariis MDCCXXXIX.

Guil. & Ioh. Blaeu.